

*Andromache; Almae Matri; urbi Italiae Capiti; Barbara; Pacis sequestra et Templum Mariale* (duo haec ultima eadem fuerant munita scidula).

Restant decem optima, quae lubenter publici iuris facimus, lectu iucundissima, vera verorum poetarum atque artificum opera. Eorum titulos sic enumeramus ut quo quodque est praestantius eo posterius nominetur: *ad Rhenum fluvium; Typac Amaru; Strages infantium Bethlehemitarum; Plotinus; Villa Syronis; Eunus; Lydia, Venator*, denique *Solatiolum*, carmen suavissimum, tersissimum, lepidissimum, cui haud dubie obtigisset praemium nisi cum eo in certamen descendisset *Thallusa*, summi cantoris opus eximium, quo vix cogitari quidquam possit praestantius. Hoc quin aureo esset ornandum praemio non dubitavimus; atque aperta scidula prodiit nomen illud nobis notissimum atque ubique terrarum clarissimum *Joannis Pascoli Bononiensis*.

Novem illa, quae proxime ante *Thallusam* enumeravimus, sumptibus legati *Hoeufftiani* in lucem emittentur, si eorum poetae nobis *Ante Kalendas Iunias* scidularum aperiendarum dederint veniam. Hanc iam dederunt *Franciscus Xaverius Reuss Alsatinus*, qui *stragem infantium Bethlehemitarum* cecinit; *Antonio Taverzani Meratensis, Lydiae* poeta; denique *Petrus Helbertus Damsté* professor *Traiectinus* cui lepidissimum illud debemus *Solatiolum*.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati nec quinquaginta versibus breviora nitide et ignota iudicibus manu scripta, sumptu suo ante Kal. Ian. Anni proximi mittant ad *Hermannum Thomam Karsten*, ordinis litterarii Academiae Ab-actis, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poetae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetae in transscribendo portabile prelum Britannicum (*typewriter*) adhibebunt.

Praemium vicioris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur eique subiungentur alia laude ornata, quando scidulae aperiendae venia dabitur. Hoc *ante kal. Iun.* fieri debet.